

& quidquid voluerit sine contradictione infra script. donatorum, & heredum suorum; & hanc quidem donationem isti filii Alberti jurant nunquam revocare. Ibidem infra scripti consules nomine dicti consilii in feudum donant, investunt infra scriptam donationem infra scriptis donatoribus, & legitimis heredibus, & masculis, & feminis in perpetuum jurando per se, & per omnes successores infra scriptos Vassallos bona fide pro posse sine fraude de cætero juvare, manutene-
re de omnibus suis rationibus, & honoribus, & turres eorum eis invitis nunquam diruere; & si obruerent, bona fide eas cum eis erigere, quibus peractis jam dicti Vassalli omnes jurant fidelitatem infra scriptis consulibus nomine sui Communis promittentes Sacramento semper bona fide in omnibus obedire Comuni, prout in fidelitate priorum suorum dominorum, excepta quondam fodri præstatione. Item jurant quod omni tempore guerra duos milites militiae paratos in Aquis tenebunt, nisi licentia omnium Rectorum, qui tunc erunt, vel majoris partis remanserit. Ego Petrus notarius ec.

(1) Loco junii lege januarii, quo mense dies martis concurrebat cum V. id, sive nona die ejusdem mensis.

Sententia consulum Aquensium de terra capitulo obligata.

107

MCCI.

107 Anno Dom. Nat. MCCI. . . . m. . . . magistro Henrico Wilhelmo Arnaldo Bucaz consulibus, & Henrico assessore Aquensi, quia Gandulfus Rugerius confessus est, dum causa quædam verteretur inter D. Anselmum Præpositum Aquensem ex una parte, & memoratum Gandulfum ex alia parte ex suo poderio duo sextaria grani, & unam minam rationem quartæ debere Canonice Aquensi jam dicti consules per Henricum assessorem suum sententiaverunt supra scriptum Gandulfum de cætero præstare annuatim pro suo poderio jam dictæ Canonice ratione quartæ duo sextaria grani, & minam unam, prout supra confessus est se debere. Interfuere testes Jacob Bocaz, Belenger domini Andreae, & Ogerius Bruzafave, & ego Petrus Not. S. Pal. ec.

Fidelitas Oppidi Montaldi Reipublicæ Alexandrinæ.

108

MCCII.

108 Anno Dominicæ Incarnationis MCCII., indictione V., die Mercur 9. intrantis januarii in Alexandria in majori Ecclesia S. Petri Anselmus Cullatius consul de loco Montaldi, item Joannes Ferrarius, & Canigia, & Vermus de Amelio omnes de dicto loco nomine Communis ec. fidelitatem fecerunt ec. domino Opizoni de Ossa Potestati Alexandriæ, quod de cætero erunt fideles Alexandriæ, & facient fossatum, & exercitum ec., guerram, & pacem de castro, & de villa Montaldi, & de personis etiam contra omnes personas, contra quas

Commune Alexandriæ voluerit ec. . . . & facient jurare homines de dicto loco Montaldi, homines Vultignanæ, & Pontexelli, & Moloneusi hæc omnia promiserunt attendere salvo jure Monasterii S. Martini de Foro. Ad invicem dominus Opizo de Ossa recepit eos in defensionem, & in custodiam Communis Alexandriæ, & promisit eis, quod de cætero non dabunt curiam, vel pedagium Comuni Alexandriæ, nec in eorum districtu ec. Interfuere testes rogati Vermus de Gencilo, Ubertus de Fantino ec.

Tabula fæderis inter civitatem Alexandria, & M. Ottonem de Carretto.

MCCII.

109

109 Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo secundo, indictione V., die Veneris VIII. intrantis martii, in Ecclesia B. Mariæ in Alice. Hæc est forma pacti, & concordie, & juramenti, quod, quæve fit inter dominum Opizonem de Ossa potestatem Alexandriæ nomine Communis Alexandriæ ex una parte, & dominum Othonem de Carretto Marchionem suo nomine, & nomine domini Vermi de Ceva Marchionis, & domini Anrici Marchionis de Pulzono ex alia parte. Imprimis prædictus dominus Otho de Carretto promisit, & super sancta Dei Evangelia juravit suprascripto domino Opizzoni de Ossa stipulanti nomine Communis Alexandriæ custodire bona, & jura ejusdem Communis, & omnes homines Alexandriæ communiter, & separatim, in personis, & rebus, per se, & per homines suos ubique ad suum posse. Item promisit facere guerram per se, & per homines suos ad suum posse, & specialiter e domo sua omnibus Marchionibus, Comitibus, & Castellanis, & villis, quibus Potestas Alexandrinus, vel Consules pro tempore existentes nomine Communis Alexandriæ voluerint, & hoc infra dies octo, ex quo denunciatum ei fuerit ab eis, vel ab eorum nuncio, & specialiter Aquensibus, & eorum terræ communi nomine, & diviso. Et de prædictis guerris non faciet, treguam, neque guerram, recreutam sine voluntate totius consilii, vel majoris partis Alexandriæ campana collecti, & ab hodie in antea dabit opem, & fortiam, auxilium, & consilium, ut omnes homines Alexandriæ habeant Episcopum, & Episcopatum, & nominatim Episcopum, & Episcopatum Aquensem, & promisit, quod mittet homines Alexandriæ in castro, & villa, & turribus, & fortia castri de Pontibus ad faciendam guerram omnibus hominibus, & locis, quibus potestas, vel consules Alexandriæ, qui pro tempore fuerint, voluerint, & nominatim hominibus de Aquis, & eorum terræ, secundum quod placuerit potestati, vel consulibus nomine Communis Alexandriæ. Item promisit quod singulis annis faciet suis expensis Comuni Alexandriæ duos exercitus ubique secundum quod placuerit potestati, vel consulibus Alexandriæ, qui pro tempore fuerint in Alexandria, & dabit in domo, & terra, in ea civitate, & in territorio libras quadringentas usque ad proximum festum S. Michaelis, nisi remanserit parabola potestas Alexandriæ,